

## **Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio**

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt  
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

A Clemente XI. Ad Benedictum XIII.

**Luxemburgi, MDCCXLI.**

59. Exponi nobis nuper &c. Concessio Facultatis Magistro Generali Ordinis  
Prædicatorum ergendi in Sinarum Regnis unam pro Viris, & alteram pro  
Mulieribus Confraternitatem Sanctissimi Rosarii in ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74859](#)

ac de Omnipotenti Dei misericordia, ac Beato-  
rum Petri, & Pauli Apostolorum ejus autoritate  
confisi, omnibus, & singulis utriusque sexus Chris-  
tificidibus, verè pénitentibus, & confessis, ac sa-  
cra Communione refectis, qui aliquam ex Ec-  
clesiis quorumcumque Conventuum, Monasteri-  
orum, & Domorum Regularium tam Fratrum,  
quam Monialium Ordini prædicti haec tenus erec-  
tis, & in posterum quomodocumque erigendis,  
& ubicumque Locorum existentibus, die quinta  
Maii Festo ejusdem Sancti Pii à primis Vesperis  
usque ad occasum Solis Fetti hujusmodi annis  
singulis devote visitaverint, & ibi pro Christia-  
norum Principum concordia, hæretum extirpa-  
tione, ac S. Matris Ecclesiæ exaltatione piæ ad  
Deum preces effuderint, quo die id egerint, ple-  
nariam omnium peccatorum suorum Indulgen-  
tiam, & remissionem misericorditer in Domino  
concedimus. Præsentibus perpetuis futuris tem-  
poribus valitirus. Volumus autem, ut ipparum  
præsentium literarum transumptis, seu exemplis  
etiam impressis, manu alicuius Notarii publici  
subscriptis, & sigillo persona in Ecclesiastica Di-  
gnitate constituta munitis, eadem proorsus fides  
habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si  
forent exhibita, vel ostenta. Datum Romæ  
apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die  
13. Januarii MDCCXIII. Pontificatus Nostri  
Anno Decimo-tertio.

F. Oliverius.

## L V I I I .

## C O N C E S S I O

Facultatis Magistro Generali Ordinis Prædicato-  
rum Antonino Cloche substituendi, quoad  
vixerit tantum, Vicarios Provinciales Mis-  
sionariorum ejusdem Ordinis pro erectione Con-  
fraternitatum Sanctissimi Rosarii in Tunkini,  
ac Sinarum Regnis.

## C L E M E N S P A P A X I .

*Ad futuram rei memoriam.*

**E**xponi nobis nuper fecit dilectus Filius An-  
toninus Cloche Magister Generalis Ordinis  
Fratrum Prædicatorum, quod cum dilecti pariter  
Filii Religiosi Missionarii dicti Ordinis in Tunkini,  
ac Sinarum Regnis ob devotionem Christifideliūm  
utriusque sexus erga Sanctissimum Rosarium ab  
eo facultatem erigendi, seu fundandi in illis Ec-  
clesiis Confraternitates ejusdem Sanctissimi Rosarii  
petiissent, ipse Antoninus Magister Generalis,  
qui vigore facultatis sibi à Sede Apostolicâ attributa  
per se ipsum tantum Confraternitates hu-  
jusmodi erigere, ac instituere potest, quæ facilius,  
& quam cito pio eorumdem Missionariorum desiderio,  
attentâ immensâ illarum Provinciarum distan-  
tiâ satisfacere, valeat, facultatem delegandi ad  
præmissum effectum Vicarios Provinciales dicto-  
rum Missionariorum immediatos Superiores sibi  
à Nobis concedi plurimum desiderat; Nobis prop-  
tere idem Antoninus Magister Generalis humi-  
liter supplicari fecit, ut in præmissis opportune  
provideret, & ut infra, indulgere de benignitate  
Apostolicâ dignaremur. Nos igitur ipsum Antoninum Magistrum Generalem specialibus favori-  
bus, & gratis prosequi volentes, & à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & inter-  
dicti, aliisque Ecclesiasticis sententias, censuris, &  
penis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel  
causa latis, si quibus quomodolibet innodatus exif-  
tit, ad effectum præsentium dumtaxat conseq-  
endum, harum series absolventes & absolutum fore

censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati,  
de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Ca-  
dinalium Concilii Tridentini Interpretum consilio,  
eidem Antonino Magistro Generali, quoad ipse  
vixerit dumtaxat, petitam substituendi facultatem  
in supradictis Regnis prefatos Vicarios Provinciales  
ad præmissorum effectum authoritate Aposto-  
lica tenore præsentum concedimus: Ita tamen,  
ut ab eo Substituti, seu Deputati alias substitue-  
re, vel subdelegare non possint, & quotannis  
eundem Antoninum Magistrum Generalem de  
Confraternitatibus erectis certiore reddere te-  
neantur, ac salva semper in præmissis authoritate  
Congregationis eorumdem Cardinalium. Decer-  
nentes easdem præsentes literas firmas, validas,  
& efficaces existere, & fore, suoq[ue] plenarios,  
& integros effectus fortiri, & obtinere, ac illis,  
ad quos spectat, & pro tempore spectabit, in  
omnibus, & per omnia plenissimè suffragari; Sic  
que in præmissis per quoscumque Judices ordina-  
rios, & delegatos, etiam cauñarum Palatii Apo-  
stolici Auditores judicari, & definiri debere, ac  
irritum, & inane si fecis super his à quoquam  
quavis authoritate scienter, vel ignoranter conti-  
gerit attentari. Non obstantibus præmissis, ac  
Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis,  
nec non dicti Ordinis etiam juramento, confir-  
matione Apostolicâ, vel quavis firmitate alia ro-  
boratis statutis; & consuetudinibus, privilegiis  
quoque, indultis, & literis Apostolicis in con-  
trarium præmissorum quomodolibet concessis,  
confirmatis, & innovatis; Quibus omnibus,  
& singulis, illorum tenores præsentibus pro  
plenè, & sufficienter expressis, ac de verbo ad ver-  
bum insertis habentes, illis alias in suo robore per-  
mansuris, ad præmissorum effectum hæc vice dum-  
taxat specialiter, & exprefse derogamus, cateris-  
que contrariis quibuscumque. Volumus autem,  
ut earumdem præsentium literarum transumptis,  
seu exemplis etiam impressis manu alicuius Nota-  
rii publici subscriptis, & sigillo Persona in digni-  
tate Ecclesiastica constituta munitis eadem proorsus  
fides in iudicio, & extra adhibeat, quæ ipsis  
præsentibus adhiberetur, si forent exhibita, vel  
ostenta. Datum Romæ apud S. Petrum sub Anna-  
lo Piscatoris die XVIII. Februarii MDCCXIII.  
Pontificatus Nostri Anno decimo-tertio.

F. Oliverius.

## C O N C E S S I O

Facultatis Magistro Generali Ordinis Prædicato-  
rum erigendi in Sinarum Regnis unam pro  
Viris, & alteram pro Mulieribus Confraterni-  
tatem Sanctissimi Rosarii in eodem Loco cum  
declaratione quod tam Viri, quam Mulieres  
ejusdem Sanctissimi Rosarii Indulgentiis in eo-  
rum respective Ecclesiis frui possint.

## C L E M E N S P A P A X I .

*Ad futuram rei memoriam.*

**E**xponi nobis nuper fecit dilectus Filius Anto-  
ninus Cloche Magister Generalis Ordinis Fra-  
trum Prædicatorum quod cum in Sinarum Regnis  
inviolabilis mos vigeat, quod Ecclesiæ Chrifti-  
delium, tam respectu situs, quam Mulierum, inter-  
eas, & Viros distinguuntur, ita ut nec Viri ad ea-  
rumdem Mulierum Ecclesiæ, nec prædictæ Mulie-  
res ad illas Virorum accedere valeant, ipse Antoni-  
nus Magister Generalis, ne Mulieres hujusmodi à  
participatione Indulgentiarum Sanctissimi Rosarii  
cujus Confraternitates in Ecclesiis Virorum  
erigi.

LIX.

ANNO  
1713.

CLEMENS UNDECIMUS.

engi illiusunque creatio a Constitutionibus Apostolicis in una dumtaxat Ecclesia cuiuslibet Civitatis permitte solent, excludantur, easdem Indulgencias etiam ad Ecclesias predictarum Mulierum, quarum non minor est erga eidem Sanctissimum Rosarium devotio, per Nos extendi plurimum desiderat; Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportunè provideret, & ut infra, indulgere de benignitate Apostolica dignaretur. Nos igitur ipsum Antoninum Magistrum Generalem specialibus favoribus, & gratia prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliquo Ecclesiasticis sententiis, censuris, & penitis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latere, si quibus quomodolibet innotatus existit, ad effectum præsumendum dumtaxat consequendum, horum serie absolventes, & abolitum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum confilio, eidem Antonino Magistro Generali, ac ei, quem ipse in illis Regionibus delegaverit, facultatem erigendi in eodem loco unam pro Viris, & alteram pro Mulieribus Confraternitatē Sanctissimi Rosarii, cum declaracione, quod tam viri, quam Mulieres eidem Sanctissimi Rosarii Indulgencias in eorum respectivè Ecclesiis frui possint, & valeant, auctoritate Apostolica tenore præsentis concedimus, & indulgemus; Salvā tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium. Decernentes eisdem præsentes literas firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtemere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, in omnibus, & per omnia plenissimè suffragari; Sicut in praemissis per quocumque Judices ordinarios, & delegatos etiam caularum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiti debere; ac irriter, & inane, si securus super his a quoquati quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus praemissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non dicti Ordinis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, Indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis; Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore pertinacius, ad præmissorum effectum hanc vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, caterisque contrariai quibuscumque; Volumus autem, ut earundem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis, & sigillo persona in Ecclesiastica dignitate constituta munitis eadem prorsus fides in judicio, & extra adhibetur, qua ipsi præsentibus adhiberetur, si forent exhibita, vel ostensa. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die xxv. Februario 1713. Pontificatus Nostri Anno decimotertio.

F. Oliverius.

ANNO  
1713.  
DECLARATIO  
Pro Confraternitatibus B. Mariae Virginis de Monte Carmelo, quod in locis, ubi Procesiones in una Dominica cuiusque mensis peragi nequeant, Confrates, & Consorores easdem Confraternitatē proprias Ecclesiis visitando, & alia prescripta opera adimplendo statutis diebus, consuetas Indulgencias consequantur.

CLEMENS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exponi nobis nuper fecit dilectus Filius modernus Procurator Generalis Ordinis B. Mariae Virginis de Monte Carmelo Excalceatorum nuncupatorum, quod alias felicis recordationis Paulus Papa V. Praedecessor noster inter alias Indulgencias, & peccatorum remissiones petiunt eum Confratribus, & Consorribus Confraternitatum ejusdem Beatae Mariae Virginis de Monte Carmelo eatenus erecatum, & in posterum erigendarum concessis, omnibus, & singulis Confratribus earundem Confraternitatum, qui vere penitentes, & confessi, ac sacra Communione refecti, Procesiones in una Dominica cuiuslibet mensis per dictos Confrates de Ordinarī licentiā facientes devote interfuerint, ibique orassent, septem annos, & totidem quadragenas, perpetuo concessit, & alias prout in ejusdem Pauli Praedecessoris desuper in simili formā Brevi die xxx. Octobris MDCVI. expeditis literis, quarum tenore præsentibus pro inserto haberi volumus, uberior dicitur contineri. Cum autem sicut eadem expositi subjungebat, Procesiones hujusmodi in quibusdam Civitatibus, & locis ex certis causis fieri nequeant, Ipse vero modernus Procurator Generalis opportune in praemissis per Nos provideri, & ut infra, indulgeri summopere desideret; Nos supplicationibus ejusdem moderni Procuratoris Generalis nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, omnibus, & singulis Confratribus, & Consorribus dictarum Confraternitatum tam haec tenus ereistarum, quam in posterum ubique locorum erigendarum, ut ipsi in Civitatibus, & locis supradictis, in quibus ob dictas causas prædictis Dominicis Procesiones hujusmodi fieri nequeant, ut præferuntur, in una ex Dominicis cuiuslibet mensis Ecclesiis, in quibus eorum Confraternites erētate reperiuntur, visitando, & alia pro consequendā ipsā Indulgentiā septem annorum, & totidem quadragenarum requisita adimplendo, dictam Indulgenciam consequantur, quam consequerentur, si Procesioni hujusmodi personaliter intercesserint, auctoritate Apostolica, tenore præsentium concedimus, & indulgemus. Non obstantibus nostra de non concedendis Indulgenciis ad instar, caterisque contrariai quibuscumque. Præsentibus perpetuis futuri temporibus valitūris. Volumus autem, ut earundem præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis, & sigillo persona in Ecclesiastica dignitate constituta munitis eadem prorsus fides in judicio, & extra adhibetur, qua ipsi præsentibus adhiberetur, si forent exhibita, vel ostensa. Datum Romæ apud S. Petrum, sub Annulo Piscatoris, die x. Aprilis MDCCXIII. Pontificatus Nostri Anno decimotertio.

F. Oliverius.